

Josephit, und andere Carmina Vol. II.

A. N. 75. Quart.

4.  
Ca  
8.9  
9.8  
10.6  
Ca  
14.  
15.  
16.  
Ca  
20.  
21.  
2.



*Pari parissimo*

D. DAVIDI STOLLIO

MARIAEBURGENSI,

Ecclesiae Petro-Paull. in inclita  
DANTISCO

*SYMMYSTÆ Orthodoxo,*

ET

CATHERINÆ MARTINÆ

VIRGINI AMABILISSIMÆ,

*CL. Viri*

D. JOANNIS MARTINI

CVSLINENS. POMERANI,

Scholæ ibid. Patriciæ ad Divæ Mariæ

RECTORIS industriosi ac  
meritissimi

PRIMOGENITÆ,

SPOSS. FATO JVNCTIS

A. C. 1619. III Non. Sept.

Amica SILESIAE Litamina.

B R E G Æ

*Typis Casparis Sigfridi. Anno 1619.*

17



I.

*Clarissimis Viris*

DN. JOHANNI MARTINO

&  
DN. DAVIDI STOLLIO

Socero & Genero  
Amicis.

**H**oc quoq; vos voto maclandos cenfeo jurè,  
Tractatis calidi dum sacra jura tori.  
Te MARTINE Patrem Socerumq; hoc federe Nata:  
Te Sponsam & Generam, STOLLI, Amor Eusebia.  
Omnia succedant feliciter, auspice CHRISTO:  
Néve novam turbet morbus Erisvé domum.  
Sed (longum ô!) vestrum traducite molliter avum;  
Adfluat & gravidi copia dives agri.  
Sic Mater CATHARINA, Pater sic STOLLIUS esto;  
Sic MARTINE Parens ac Socer, esto & Avus.

Benè ominans voveb.  
*αὐτοσχέδιος*

Caspar Cunradus  
Phil. & Med. D.

II. Quam





II.

**Q**Vàm pius, probus atque gratiosus  
Sponsæ nuper Avus tuæ cluebat  
Mystra Iovæ HADRIANUS ille PAULLI;  
Quàm spectatus & integer Vir audit  
OSTOLLI Pater ignium tuorum,  
IANUS, quo GEDANI juvena honesti  
Pensum ad omne refingitur Prométheo  
MARTINUS, Pylades mihi pol alter;  
Quàm rarâ CATHERINA Mater anteit  
Dote ac laude sui usquequâque sexûs  
Exempla; illaque Avunculorum amanda  
Clarorum manus optimum per urbem  
Quemque in se GEDANAM trahace philtro  
Quàm valdê rapit, ut GEORGIUS, laus  
Suggestique sacri Scholasticæque  
Infolens cathedræ; satelles almæ  
HADRIANUS Hygeiæ ut ille PAULLI,  
Quem secreta simul catê eruentem,  
Naturæ patrium stupet Lycéum:  
Ut IANUS, Themidi urbium patronæ  
Dilectus; licitê pecuniosa  
Mercimonia denique ut fatigans




MARTINUS; Patruī fides probata,  
Et modestia deinde BARTHLOMÆI,  
Adfinisque RÜHELII prope urbem  
Quàm spectamine pulsat efficace,  
Sacrum ovile fidelium bidentum;  
Nec non quàm bene apud bonos ubique  
Audit CURITIUS, WEGNERIUSQUE,  
Consanguinea nomina integellæ  
Sponsæ, Pharmacopœus hic peritus;  
Causis iudicio fori exputandis  
Datus ille Parâstates perennis,  
Nunc amor, mea sed prius voluptas,  
Quàm rata, inquit, quàmque nota mundo  
Sunt hæc, quæ memoravi: utrique Amantum,  
STOLLIO tibi, ut & tibi CATHRINÆ,  
Tam feliciter opto, commodèque  
Copulatio cedat auspicalis:  
Tam feliciter, opto, commodèque  
Basiatio cedat hinc jocalis:  
Tam feliciter, opto, commodèque  
Complexatio cedat & toralis:  
Tam feliciter, opto, commodèque  
Procreatio cedat annualis:  
Tam feliciter, opto, commodèque  
Educatio cedat ordinalis:  
Tam feliciter, opto, commodèque

Con-



Conversatio cedat integralis:  
Tam feliciter, opto, commodèque  
Res domestica cedat universa, &  
Post vitæ ultima vanidæ, ad beatas  
Emigratio læta mansiones.

BREGÆ SILESIOBUM  
M. MELCH. LAUBANUS.



III.

STOLLI, Pieridum cultor Sophiesq; superna  
Inclite Doctor, adi Sacram feliciter Aram,  
Quâ desponsa datur tibi pronubo & Auspice Christo  
Virgo probi moris, pietatis, amabilis oris  
Laudibus insignis. Feliciter ambo ferite  
Conjugii fœdus: Sanctis Deus annuat orsis.  
Aurea Pax thalamum vallet, Concordia sensus  
Blanda liget, Candor mentes adamantinus arcê  
Sepiat. Imo Deus vobis quacunq; velitis  
Sufficiat. Maiora mei calami atq; papyrus  
Ferre negant. Penna affectum mea scribere nescit.

Scribebam Bregæ  
Samuel Hartlibius El-  
binganus Bor.

A 3 IV. AD



## AD SPONSUM.

**E**Rgone Stolli, Theologiæ decus,  
 Pastorque cætus Christigenæ vigil,  
 Et tu Dionæo capistro  
 Libera jam dare colla gestis?  
 Nescisne quantis alma Bohemiæ,  
 Moraviæque, & Slesix, & Austria  
 Concussa pax dudum procellis  
 Increpet, utq; furenter instet  
 Bellona mundo? non rabiem vides  
 Thracum impiorum, & Papiolæ manûs,  
 Dolo atq; ferro membra CHRISTI  
 Entheca tollere molientis?  
 Ah quis piorum jam stabilem sibi  
 Spondere possit nidulum apud malos?  
 Quis ausit hos inter tumultus  
 Conjugii se onerare tricis?  
 Quznam ergo tali in turbine cladium,  
 Dic SPONSE, quæso tantum animi tibi  
 Res indat, ut castè Sororem  
 Spontè meam tibi copularis?  
 Næ mente castâ tute fidelius  
 Fines jugalis fœderis exputas,  
 JOVAMque sanctorem, omne damnum  
 Christicolûm à thalamo fugantem:  
 Tuam usque JOVÆ jussa adamantina  
 Mentem, autumo, urgent: nec tibi commoda  
 Præclara sunt ignota, lectus  
 Quæ socius sine sine præstat;

Dicen-



Dicenda quæ sunt Vatibus inclytis,  
 Quibus propinat pocula Delius,  
     Quæ nectaris sunt plena dulcis,  
     Queisq; Thalia favet canora:  
 De me: ipse pauper non sine maximo  
 Labore pango carmina versifex,  
     Quid audeam ergò prædicare  
     Commoda tanta tori jugalis?  
 Eja alme Præco dogmatis enthei  
 Quem fors maritum fecit amænior  
     Nostræ Sororis, quæso lato  
     Sis animo, faciliq; vultu:  
 Et vota nostra hæc fronte alacri aspice,  
 Quæ nuncupo imo jam tibi pectore:  
     Domum occupet Pax alma Erosque,  
     Cum prece fervidiore vestram.  
 Sic seu ferat, seu mox referat pedem  
 Fortuna, IOVA præstite sub bono  
     Bellona nec Vobis nocebit,  
     Nec premet exilium nefandum.  
 Vos si manetis sub Duce tam sacro,  
 Pedem citò horrens vertet Eris retro, &  
     Lucina Juno vos beabit  
     Plurimâ & ingenuâ propâge:  
 Cunina certatim, atq; Lubentia, &  
 Potina Vobis mox studio utili  
     Fidemq; præstabunt Edusa,  
     Lætitiæque dator, Venusque.  
 Donec senectam Vos Pylîi senis  
 Iam consecutos ducat in æthera  
     JEOVA supremus, voluptas  
     Perpes ubi & requies perennis.

V. AD



*AD SPONSAM.*

**F**estivitatē pompam Hymenēā,  
Quam lux secunda aut tertia, ceu puto,  
Septembris instruxit secundis  
Sideribus tibi SPONSA, cara  
Germana, spectare, atq; epulis frui  
Bellē paratis, indomito ferē  
Ardebam amore, & pro tuā æquis  
Proque salute tui mariti  
Vocare votis munificum DEUM,  
Qui casti amoris fautor & auctor est:  
Verum quod haut coram sit ore,  
Calliope mea factitare  
Conabitur, tute auriculam arrige.  
Studeto semper, Penelope audias,  
Vel Sara, vel comis Rebecca,  
Jurgia nulla movens marito.  
De cætero: fac prospicias lari  
Privo ac culinæ; te muliebria  
Tantum decebant; imperet vir:  
Tu cave jussa ferox retractes.  
Pulchrē geretur res foris & domi,  
Si destinatam quisque suis agat  
Molem lacertis, atq; amorem  
Semper alat penitis medullis.  
Sic JOVA faxit sic, GATHARIS mea  
Soror suavis, DAVIDE cum tuo  
Marito amando usque ad supremæ  
Caniciem superes senectæ,  
Et mente sanā & corpore prædita.  
Sano: modestos sic mihi filios  
Ac filias, sic & nepotum  
Vester amor videat nepotes.  
Fraterni amoris ergo pangebam  
Bregæ Silesiorum  
JOANNES MARTINUS  
Jun. Sponsæ frater.







14 12.6.

*Pari parissimo*

D. DAVIDI STOLLIO  
MARIAEBURGENSEI,  
Ecclesiae Petro-Paull. in inclita  
DANTISCO

*SYMMYSTÆ Orthodoxo,*

ET

CATHERINÆ MARTINÆ  
VIRGINI AMABILISSIMÆ,

*CL. Viri*

D. JOANNIS MARTINI  
CVSLINENS. POMERANI,

